

foedum inceptu, foedum exitu quod vites. Non putandum enim legendas esse tantum historias voluptatis & curiositatis causa, utque animum rerum gestarum varietate oblectemus; sed finis ac scopus noster simul esse debet imitatio bonorum factorum, turpiumque fuga & averfatio: & proba autem, & mala specimina non sumenda modo ex profanis, verum etiam ex sacris atque ecclesiasticis documentis. Nam quemadmodum in historiis paganorum sistuntur exempla iræ divinæ adversus atrocissima scelera; ita in historia ecclesiæ miracula, quæ sunt testimonia doctrinæ, considerari possunt, itemque gubernatio ac defensio ecclesiæ, vita & mores sanctorum, vitia lapsusque summorum virorum, exempla denique utriusque generis, iræ in pœnis, & misericordiæ seu gratiæ in conversione eorum, qui lapsi ad Deum redierunt.

## §. II.

*Philosophia practica vel est methodica, vel exemplaris,*

Philosophia practica, in qua jam versamur, vel est methodica, vel exemplaris. Illa doctrinâ & præceptis ethiceis, politicis ac œconomicis absolvitur, hæc autem exemplis ad summum bonum practicum consequendum hominem instruit. Certe si Historia, ut vidimus, alia est profana, alia ecclesiastica, describitur ea merito narratio rerum quarumvis gestarum, secundum personarum, locorum & temporum circumstantias, seriesque exemplorum partim theologorum, partim ethicorum, politicorum & œconomicorum. Sunt autem exempla ejus disciplinæ propria, cujus sunt regulæ: cum igitur  
regu-